

P V I S



1 6 0 3

HONORI
ET MEMO-
RIAE REVERENDI
NOBILISSIMIQUE ET
GENE ROSI DOMINI ABRA-
 hami à Grunenbergk, Commendatoris in
 Lagau, Domini in Zetitz & Neudorff.
 Illustris. Princ: Elect. Brandeb. Con-
 siliarij: Crosnensis & vicinorum
 Castellorum praesidis
CARMEN
A
MICH. HASLOBIO MAR-
chico scriptum.
 FRANCOFOR. MARCHIONVM
 EXCVDEBAT
ANDREAS EICHORN.
 ANNO. M. D. LXXX.

by.



171

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG
171

171

171



AD

REVERENDVM

NOBILISSIMVMQVE ET GE-
NEROSVM DN. ABRAHAMVM A
GRVNBERGK. COMMENDATOREM IN
Lagauu, & Dominum in Zetiz ac Neudorff,
benignissimum atq; obseruandissi-
imum suum Dominum.

D Eme tuis violas, dulcissima Musa, capillis:
Lilia deme, soli lumina, deme rosas.
Accipe Cupressum, folijs quæ tempora velet:
Non facit ad mæstam Laurus odora chelyn,
Dum, celebris fama, liquit GRVNBERGIVS auras,
Qui decus eximia nobilitatis erat.
Musa, iuuet digni virtutes tollere iustis
Laudibus, & clarum ferre sub astra genus.
Hoc ita vult Natus fieri. Tu perfice iussum.
Nam decet vt fructum carpat honestus amor.
Ille benignus erat nuper, cum grata tulisses
Læta Sionæi vertice,serta, iugi.
Ille fauet doctis verè, semperq; fauebit:
Hic alios mores temporis huius amat,
Ingenijs nocuus quantumuis sæuiat æstus,
Et fileant flores, & numerosa seges,

A 2

Conci.



Concine tu querulum vitis sub frondibus amplis:
Non statuent muscæ nec tibi vespa moram.
Dulce sit ac merito quiddam componere gratum.
Quæ pietas floret carmine, viua manet.
Sic ego: sic, referam dignos, ait vna sororum,
Lauriferi campus quas Heliconis alit.
Est, DEVS est nobis inprimis laude ferendus.
Nam dium cæli nos liquet esse genus.
Igneus est nobis vigor, & cælestis origo:
Quo loquimur, supera spiritus arce venit.
Facta DEI primum bene grata mente canemus:
Post etiam, laudem qui meruere, Duces.
Non etenim nobis virtus neglecta feretur:
Vivat, & in claris fulgeat illa, locis.
Cursor odorato recreatur flore rosarum:
Poma famem minuunt: sed bona vna sitim:
Mens quid honesta petat maius quam laudis amorem,
Splendida quem virtus & benefacta mouent?
Haud rapimur donis auri: sed vera probamus.
Accipiat vigilans præmia grata labor.
Hactenus è casta depromens mente volumen
Omnia quæ monstro, tu memorabis, ait.
Plura nec adiecit. Sed enim se miscuit auris.
Nunc humeris certè grande recumbit onus:
Nam simul oblatum pleno considero vultu
Aspicio tenui magna paranda hyæ.

Nobi

Nobilitas illic, alia se parte videndum
Præbebat robur, corporeusq; vigor.
Heret in his multum laudis: nemoq; negabit
Sanus, in his aliquod consenuisse decus:
At grauius quiddam virtus præclara meretur,
Quo labor hic etiam nomine maior erit.
Magna (fatebor enim) passim se copia monstrat:
O mihi iam vires sint, vt amanda loquar.
Quisquis in herbifero spaciatur longius horto
Aspicit is violas, lætificasq; rosas.
Sed melior grauidæ contingit gratia viti
Exhibetæ terris de bonitate DEI.
Offero me promptum sanè cuicumq; labori,
Si mihi sunt vires, nec mea vena tacet.
SLESIA scis illum claris Maioribus ortum
A proavis nunquam degenerasse suis,
Siue iuuentutem videas, quæ passa laborem
Cresceret vt virtus & bona fama, fuit:
Siue decus subeat, quod adultior abstulit ætas,
Dum suus est dignum concomitatus honor,
Quæ meruit titulos, & amorem nacta potentum
Dotibus eximys suspicienda fuit.
Hic quis honestatem famæ laudisq; referret?
Haud tenebris virtus scit generosa tegi:
Verior ingenuam rexit sapientia vitam,
Hinc voluit lucem nominis ire sui.

A 3

Inui.



Inuidia præfente loquar. Non liuida curò.
Nubila sincerus candor amare nequit.
Illius ex oculis pietas lucebat, & ardor
Viuidus æterni discere iussa DEI.
Est, pietas sanctæ Dux est ac regula vitæ,
Cœlitus & mentis dona Magistra capit.
Officijs gratus populo, se cuncta regenti,
Ipse fide carum nouerat esse DEO.
Nil meritis agitur, CHRISTI nos sanguis ab omni
Crimine mundatos innocuosq; facit.
Vir grauis ABRAHVS solenni deditus aræ
Iustificæ cultor religionis erat.
Nomen in ore DEI, pacis studiosus, habebat,
Pectore seruabat condita verba DEI.
Iustus erat, censorq; sui custosq; pudoris.
Nam pia mens fœdæ nil leuitatis amat.
Candidus & verus, doctusq;, salubria fouit:
Inuidiæ passus non fuit esse locum.
Risit is inuidiam, constans in rebus agendis:
Et fuit in querulos larga reperta manus:
Consilio multos iuuat: vultuq; sereno
Sustinuit morsus, vis inimica, tuos.
Robur & ætatis mansit, nec sera recessit
Quæ potuit clarum, forma, decere virum.
Splendor opum vitæq; fuit: prudensq; potestas:
Conspicuus multos & sibi iunxit honor.

Scep.

Sceptryger imperij Romani, Marchio Princeps,
Dicitur hunc animo semper habere suo.
Et patruus, Vartæ qui rexit prouidus arcem,
Illius ingenio certus amicus erat.
Gratia virtuti, rapto si vita fuisset
In patria certè rara querela foret.
Cæperat ABRAMVS morti sentire rigorem,
Nouerat & propius mortis adesse diem,
Cum superauisset, præclaros nactus honores,
Dignaꝫ virtutis præmia, lustra decem.
Tum verò trepidas tendens ad sidera palmas
Respice soluendum morte Redemptor, ait.
Non ego delicias mundi, neꝫ gaudia miror.
Gaudeo me lotum sanguine CHRISTE, tuo.
Pendeo, quantumuis tristi, de funere totus:
CHRISTE recessuri nunc miserere mei.
Sic ait, & dulces auras, lucemꝫ reliquit,
Quicquid & in vita cernere dulce fuit.
Iure doles, ABRAHAME: tui quoꝫ iure queruntur
Auxilium sortis procubuisse suæ.
Arguit immensum vestis funesta dolorem,
Quæꝫ frequens imo corde querela venit,
Crebraꝫ lugentes mittunt suspiria ciues,
Et cineri lacrymas, tristia dona, ferunt,
Equibus acclamans laudi, virtutis amicæ,
Hic ait, in nostros officiosus erat.

Ad tu



Ad tumultum bona fama sedet, grauibusq; Camoenis
 Splendida, quæ generi sint imitanda, parit.
 Est dolor is iustus, Sed enim iacet aggere terræ
 Grunenbergiaci sanguinis altus honor.
 Nunc iacet. At fidei commissos viuis amabat,
 Quos cumulo plenæ iuuat & auxit opis.
 Si quis odoriferum doleat languere Rosetum,
 Nec decus auulsis, ceu prius, esse comis,
 Protulerit lusus aliquis post funera sani
 Pectoris? hos mores impius hostis amet.
 Sic habeas, ABRAHAME: tuum non improbo luctum,
 Qui tibi conceptus Patre cadente fuit.
 Est fera quæ vitæ socium deploret ademptum:
 Mortis & aspectus non leuis esse solet:
 Et lacrymas possis & acerbis condere curas.
 Pectore, dum mentis pars iacet ampla tuæ?
 Prætereo vitæ celebres deflere sepultum
 Sæpius, & miris ingemuisse modis.
 Ut, quoties premitur morbo pars corporis, audis
 Guttore luctificos protinus ire sonos,
 Non doleam caros vitam posuisse parentes,
 Aut mihi carorum qui vice nuper erant?
 Isaciden fleuit (pietas est nacta fauorem)
 Ille Canopæi gloria viua soli.
 Fleuit & Isides natum, visusq; dolorem
 Non fuit obscuris significasse notis.

Dardas

Dardanides fleuit Patrem, quo tempore campis
Exceptus Tyrijs exul & orbis erat.
Est pius hic luctus. Damnabit nemo querelam,
Quam ciet amissi sollicitudo boni.
Viuatur hic sanctè: vidi, noui q̄ probari
Alterius verè qui doluere malis.
Qui leuiter ridet lusum pro laude reportat:
At pius illacrymans signa doloris habet.
Sæpius existunt fletus solamen amantum;
Sistitur his regnans egeritur q̄ dolor.
Iure querens **ABRAHAME** gemis: non improbo luctus.
At lacrymis debet certus adesse modus.
Mens bona non fingit gemitus. Iam lugeo tecum.
Nam cecidit patriæ spes, & auitus honor.
In tumuli gremio solatia certa quiescunt:
Lumen amicorum præsidium q̄ iacet.
Quis neget ablatum decus & spem gentis honestæ?
Non idè curæ pectora capta vorent.
Hoc **DEVS** humanas coniunxit fædere mentes,
Firmus vt, & plenè mutuus, esset amor.
Ille nec extingui poterit, nec debet in vlllo,
Ni rigidus dici terribilis q̄ velit.
Molle cor admittit lacrymas, & cuncta rependit
Quæ cineri verus soluere possit amor.
Spe citius dilecta cadunt, terra q̄ teguntur:
Esto: sed à tumulo gloria maior erit.

B

Iudi



Iudicioꝝ **D E I** quaecumq; geruntur, amemus.
Errat, in excelsum qui capit arma **D E V M**,
Sub radijs Lunæ comprehensa fugacia scimus:
Omnia, quantumuis sint operosa, cadent,
Hic etenim firmum nihil est: cælumq; minatur
Nescio quæ varijs horrificisq; modis.
Promere feruorem sitiens inceperat **Æstas**,
Cum petijt mentem cura seuera meam.
Hanc ego nocturni minuebam temporis auris:
Spes erat in vero summa reposita **D E O**.
Ecce domus Solis nascentis fuderat ignem,
Dum paro stelliferi regna videre poli.
Nubila cernebam iuxtà: sed parca nitorem
Astra simul noctis per tenebroso dabant.
Arctos & undabat flammis, hastasq; nouabat,
Cum mentem cœpit terror inire meam.
Quid toties (dico) cœli dum spargitis ignem
Iratum minimè discimus esse **D E V M**?
Cur ita securi terram lustramus amici?
An quia de terra massa caduca sumus?
Nos ideò potius stultissima lucra volumus,
Quàm vigili iustum cernere mente **D E V M**?
Quæ, precor, in querulos sese dilectio monstrat
Dum cumularum cura senescit opum?
Est satis ad luxum præsto: Qua fronte superbus
De vitijs ausit velle videre **D E V M**?

Nulla

Nulla fides: tenebræ mentes sepsere quietas:
Opprimat extremo nec **DEVS** igne malos?
Non fecet illecebris sacros fera lancea cælo,
Et grauis humanum deleat ira genus?
Tristia sunt certè præsentis tempora mundi,
Dignaꝫ sulphureis quæ crucientur aquis:
Ni **DEVS** ostendat clarum per nubila lucem,
Et cupiat cœtus viuere membra sui,
CHRISTVS adest sponsus noster, custosꝫ manebit
Aurea dum rosei lumina Solis erunt.
Est ita res. Pelagus profert quoꝫ monstra ferarum:
Æquora plena malis: terra referta dolis.
Linquere curarum nubes, tristemꝫ dolorem
Qui poterit, luctus mole solutus erit.
Nec verò morimur casu: sed luce reposcit
Aucta, relaturus splendidiora, **DEVS**.
Turpe reluctari nos ad maiora vocanti
Quæ bona non tellus, quanta sit, vlla dabit.
Delicias orbis Genitor lumenꝫ reliquit
Vir pius, & largus, iusticiæꝫ tenax.
Is tamen ætatis numerosos contigit annos,
Quos animo forti donat habere **DEVS**.
Floret apud veri cultores nomen honestum,
Fama quod insigni laudis honore feret,
Spiritus insertus, plenis splendore, viretis
Affore scit, donet quæ bona vera, diem.

B 2

Cum



Cum sit honos, pulchra partus virtute, parenti
Amplius amissum morte dolere voles?
Tectus is est tumulo, non vt teneatur in illo,
Qui datus est curæ tristitiæq; quies:
Sed velut hiberno seruatur tempore granum
Vere quod in viridi robora sumet humo:
Sic vbi nos erimus tumulo frigente locati,
Proferet argutos & tuba clara sonos,
Tunc noua dona DEVS membris animæq; daturus,
Transferet in sedem corda beata suam,
Gratia non auro talis, nec gloria gemmis
Quanta reuicturis munere lucis, erit.
Aspicias vt Cernuus deponat cornua? cernis
Gaudeat vt donis profiliatq; nouis?
Respicias in viridi serpentem valle senectam
Linquere, gauisum quod perisset onus?
Sic cute reiecta quæ vermibus esca fuisset
Nobilior membris restituetur honos.
Cum decus amisit quondam præstantia celsæ
Arboris, & folijs stat viduata suis,
Vere nouo recipit ramorum leta virorem,
Fructibus ac remanet læticiæq; locus.
Phæbus ad occasum roseo cum pergit ab ortu
Insequitur tenebras nox adoperta caput:
Mane sub auroram quoties ad rura reuersus
Respicit, est toto rebus in orbe color:

Nos

Nos ubi deferimur properatae mortis in aulam
Omnis amabilitas & decus omne iacet,
Tempus erit quando clausis excita sepulchris
Corpora virtutes sunt habitura suas,
Ter felix quicumq; DEO confidere gaudet.
Non is inexpleti praeda doloris erit,
Triste quidem nitidi iucunda relinquere Solis
Lumina, quae formam leticiamq; ferunt:
Dulce tamen nouisse DEI nos munere saluos
Esse: sed hanc carnem promeruisse nihil.
Credimus à CHRISTO proficisci flumina vitae.
Qui sapis, hunc portum quære, beatus eris.
Viuu is, huic fidas spreto fulgore caduco:
Ille tibi lucis munera viua dabit,
Viua dabit noster Saluator munera lucis,
Donaq; Rex vitae iusticiaq; feret.
Gloria tunc crescet viuax, & gratia surget,
Non volet electos deseruisse DEVS.
Viuimus in CHRISTO, mundi qui flaccida curat
Somnia, non verae lucis habebitopes,
Ille resurrexit tumulo, terraq; resurge t
Qui sciet in CHRISTO spem posuisse suam.
Quanta DEI bonitas omnes miseretata rebelles
Si niueo constans fluxerit ore fides?
Non aliquid dici poterit formosius illo,
Cuius habent omnes munere, quicquid habent.

B 3

Nos ta

Nos tamen informes curat semperq; fouebit:
Sic cupit hæredes sedis habere suæ.
Fide redemptori, iuuenis clarissime, **CHRISTO**:
Ipse dabit patris membra videnda tui,
Hoc precor vt fiat serò, cum nactus honores
Conspicuos, altæ præmia mentis, eris.
Æmulus & Patris mores superaueris omni
Quo poteris, studio, qui superare potes.
Aspicias, inquam, Patrem. Quæ gaudia crescent
Quantaq;, iucundis vos alitura locis?
Quos ibi iungetis plausus? Non pectus canoris
Hæc cycnis simplex Musa referre nequit.
Ergò dolor pereat: solatia dulcia surgant,
Gaudia cum soleant post mala dura sequi.
Quod cadimus, fecit lapsus. Non morte perennij
Ossa reseruabit conficietq; solum.
Quid verò poterit iucundius esse videri
Quàm procul à tenebris luce manente regi?
Est labor in terra, duræq; molestia vitæ:
Sed requiem cælum leticiamq; dabit.
Quantus amor **CHRISTI** fuerit, quæ lingua docebit?
Æthereas pandet spiritus almus opes.
Est caro quæ tantum spectat terrestria vultu:
Mundus & auertit pectora sæpe **DEO**,
Ac velut imbelli lupus insidiatur ouili
Vnde fuget tristem discutiâtq; famem?

Sic.

Sic vetus insidias serpens struit agmine longo,
Ni vetet hoc mitis cura benigna DEI.
Debilis est animus, fragili dum carne tenetur
Implicitus: CHRISTO sed Duce firmus erit,
At quia decessit pendens è munere CHRISTI
Quem coluit vera religione, Pater:
Ac studio veri, dum vixit, totus inhaesit,
Et superest laudis nescia fama mori:
Ergò relinquamus curas, & læta paremus:
Non aliquis debet luctibus esse locus:
Vel quia fers placidè, quicquid diuina voluntas
Imperat, è cuius numine cuncta vigent,
Vel quia difficilem mollitam spero querelam
Tempore, quo sœuit rarior esse dolor.
Nunc procul ex animis curæ, procul ite querelæ:
In Scythica vobis sit regione locus.
Musa comas orna depexas rore marino:
Sed mea pampineus contegat ora viror.
Indue, quæ deceat præsentia tempora, vestem:
Suggere iucundis verba referta modis.
Audiant ABRAMVS sincera voce canentem,
Dum patitur lusus vitis opaca meos.
Nominis en hæres & honoris iure paterni
Officij fructum debet habere sui.
Aonides puerum blandis aluere sub hortis,
Veraq; munifica contribuere manu.

Ergò



Ergò licet claro natus sit sanguine, nomen
Virtutum studijs amplificare parat.
Iam iuuenis, laudem sectatis, floridus annis
Splendida naturæ dat documenta sua.
Vocis enim cœlestis amans vult subdita iussis
Pectora diuini munere lactis ali.
Hinc adeò curans doctos his munera donat,
Qui valeant cœtum pascere **CHRISTE** tuum.
Præmia quæ in etiam Musarum præbet amicis:
Non placet elatæ mentis in ore tumor.
Qui facit vt populus vigeat, Musisq; ministrat
Debita, non poterit post benefacta mori.
Qui sapit à Musis pendet, Sic gloria crescit:
Sis meriti crescit gratia: crescit honor.
Non equidem fictos inflatus somnio raptus:
Haud cupiam iudex carminis esse mei.
Præfero me nullis: cupio laudare merentes.
Hunc animum constans extimulabit amor,
Ingenuos colui vates, sociosq; Camœnæ:
His ego si potero non leuis ire comes,
Si tenues, **ABRAHAME**, voles accersere Musas,
Quas viridis lætas ocia mentis alant,
His, nisi me dubium sustentet opinio fallax
His ego (ne dubita) non leuiora feram.
Accipies grauiora, tuæ quæ condita laudi
Nomina per terras & freta longa vehant.

Alter

Alter amet gemmas: celebres amet alter honores:
Tu meriti custos sis, **ABRAHAME**, tui.
Non ut adulator veniam: nec stellio pictus:
Vera canam viuus: vera superstes agam.
Nemo bonus Musas vnquam carpebat honestas:
Has Domini socias laudis habere solent.
Sed nec habent tantum socias: at sponte iuuabat
Has sibi magnificos conciliare Duces.
Restat vt accipias carmen quod amica voluntas
Pertulit ad finem nunc, **ABRAHAME**, suum.
Quid tibi quid rectè, iuuenis præclare, negarem?
Est mea laudatis Musa parata viris.
Carmina qui rident nullo sunt carmine digni,
Debuerant tenebris nomina vana tegi.
At probitas meriti fructum decerpere debet,
Officijs debet lætior esse suis.
Accipe nunc animum: sic det tibi prospera vitæ
Tempora, qui seruat condita cuncta, **DEVS**.
Sic tribuat vitæ sociam: Tunc carmina fingam
Qualia vel Viader se meminisse neget.
Excitat has artes Heroum larga voluntas.
Nam nisi subsidio fulta, Camæna silet.

C

AD



AD EVNDEM.

ECquis adhuc, ABRAHAME, tui post funera Pa-
Sollicitè vivit corde gemente dolor? (tris
Credo: nec erro quidem cernens solamen ademptum
Pectoris in terra, perfugiumq; tuum.
Pone tamen tristi vigilantes mente querelas.
Non tumulo pietas & benefacta iacent.
Vere nouo gaudens formosas indue vestes,
Gaudet auis: gaudent flumina, gaudet ager.
Floribus & folijs, nitidisq; coloribus horti
Se recreant miris lumina nostra modis.
At grauius mentem ridens animumq; voluptas
Afficit, & supra sidera celsa locat,
Dum propius plenas audimus numine voces,
Nostra quibus, tenebris frigida, membra calent.
Dum Vigor Omnipotens nostris se mentibus infert,
Ducit & ad verum pectora nostra DEVM
Leticiaq; bonis firmat cumulatq; beatos,
Et fugat erumnas, & mala cuncta leuat,
Mollis vt in terram cælo qui decidit imber
Arua superfusa munere nutrit aquæ.
Et facit vt segetes prorumpant agmine leto,
Fructus vt hinc animis corporibusq; fluat.
Sic Zephyri quondam languentes suauiter afflant,
Lenis & est durum quæ leuat aura malum.

Huc



*Huc ades, & mecum veris accingere sacris:
Iam niteant vernis tempora culta rosis,
Dum sacer est altis demissus Spiritus astris,
Cordaꝑ diuinæ robore cinxit opis.
Gaudia tunc animis creuere dolore sepulto:
Mæror erat nullus: non metus vllus erat.
At prius heu durum Sinæ conscendere montem,
Carne salutiferum cernere velle DEVM,
Hoc tribuente tibi felicitis tempora vitæ,
Pace regas populum iusticiaꝑ tuum.
Te iacet Domino pereatꝑ Calumnia mordax:
Sic tibi non parcè credita reddet ager.
Fiat inops lætus. Felix quicumꝑ Camænas
Accipit, illius gloria viua manet,
Herba velut gelidæ conspersa liquoribus vnda,
Aut rosa quæ dulci fonte rigata viget.
Hoc facies, ABRAHAME, tui dum munere Patris
Fungeris, amplificas & probitate genus.*

MICHAEL HASLOBIVS M,





Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





XLIX.

48.

HONORI

MEMORIAL

REVERENDISSIMI ET

SIDOMINI ABRAMBERGK, Commendatoris in
 nini in Zetitz & Neudorff.
 inc: Elect. Brandeb. Con-
 rosnensis & vicinorum
 bellorum praesidis

CARMEN

A

VASLOBIO MARCHIONVM
 chico scriptum.

OR. MARCHIONVM
 KCVDEBAT
 EAS EICHORN.
 O. M. D. LXXX.

by.

63

